DE PRÆCIPUIS
ANIMI HUMANI FACULTATIBUS
THESES
QUAS AUSPICE
ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.
JOSEPHO MARIA PERUTIO
EPISCOPO VICETINO
PRÆLATO DOMESTICO ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENTI
IN PUBLICUM CERTAMEN EXPONIT
ANTONIUS MASENELLO
SEMINARII VICETINI ALUMNUS
ADJUTORE
JOSEPHO CORÀ
IN EODEM SEMINARIO
METAPHYSICÆ ET MATHESEOS
LECTORE.
UNICUIQUE POST TERTIUM ARGUENDI FACULTAS SIT MORE ACADEMICO

BASSANI
E Typographeo Basiliano
Mdcccxix.

Est illud quidem maximum, animo ipso animum videre.

Cic. Tuscul. Lib. I. Cap. XXII.

THESES

DE PRÆCIPUIS ANIMI HUMANI FACULTATIBUS

---

1. Objecta in organa sensoria impulsionem quamdam inferunt, qua nervorum fibræ excitantur, motumque propagant ad cerebrum, ex cujus materia fibræ eædem conflantur.
2. Eo ipso temporis, quo motus hic in cerebrum infertur, sensum experimur, quem utcumque certissimum, numquam vocibus idoneis expresserimus. Appellabimus vero modificationem, vel sensationem, vel potius ideam, ut Lokio ac Bonnetio visum fuit, quorum sententiam nos quoque sumus sequuti.
3. Facultatem, cujus ope has ideas sentimus, facultatem sentiendi nuncupamus. Quo illud existit, ut ideæ nihil sint, nisi hujusce facultatis actus.
4. Ipsa experientia omnino comperimus esse nobis non unius tantum generis ideas, sed

dissimiles inter se, ut odoris, saporis, coloris, soni, frigoris, et hujusmodi rerum plurimarum; quod luce clarius patebit, si vel tantillum ad ea, quæ in nobis experimur, animum advertamus.

5. Arduum esset recensere numerum idearum, vel quo tandem ordine in animis versentur, cognoscere. Illud vero est apertissimum duas saltem eodem temporis puncto ideas in animo existere.

6. Hæ duæ ideæ ita, dum in animo existunt, naturam suam servant, ut altera cum altera non commisceatur, sed omnino duæ distinctæ permaneant.

7. Cum perspicue duarum idearum, earumque distinctarum comprehensionem animo tenemus, tum animus actum facultatis sentiendi duplicem exerit; earum primam sentit, sentitque alteram. Sed cum hi actus respiciant facultatem sentiendi proprie vocatam, de qua supra diximus, non est opus de his plura addere.

8. Illud vero restat, ut investigemus actum illum, tamquam individuum, nec satis umquam verbis explicandum, quo utramque ideam mens nostra complectens, alteram ab altera secernit ita, ut hanc non esse illam sentiat. Hujusmodi actus a quovis actu facultatis sentiendi proprie dictæ abest, estque

nova mentis operatio ab ea profluens facultate, quam judicandi facultatem vocant Philosophi.

9. Quoties igitur sentimus unam ideam non esse aliam, efficimus actum facultatis judicandi, seu judicium. Facultas vero judicandi est potestas cognoscendi ideæ alterius ab altera discrepantiam.

10. Jure affirmare possumus judicium, de quo modo loquuti sumus, simplicissimum esse; immo etiam hoc vere videmur esse dicturi, cætera judicia omnia, quæ pluribus ideis simplicibus constant, composita esse; velut cum tres ideas mens complectitur odoris rosæ, violæ, ac lilii. Ut enim odorem lilii ab odore rosæ, ac violæ dissimilem esse sentiamus, tria judicia proferamus oportet; nempe, ut prius idea violæ ab idea rosæ disjungatur, tum vero ut odor lilii a natura odoris rosæ secernatur, denique ut differentiam odoris lilii, ac violæ compertam plane teneamus.

11. Facillime intelligi potest pleraque judicia pluribus constare velut elementis, atque etiam ea ipsa judicia, quæ maxime simplicia videri solent. Quorum illud potissimum expendendum suscipimus, quo invenimus ideam, quam modo habemus, jam antea nos habuisse. Atque ut id manifestum

magis sit, rem paullo attentius introspiciamus.

12. Ac primum (quod nemini dubium fore arbitror), non solum quælibet cujusdam speciei idea ab altera quapiam idea alterius speciei differre debet, ut coloris, et odoris; verum etiam ejusdem speciei, veluti viridis, atque rubri coloris ideæ inter se disjunctæ sint necesse est.

13. Quod vero intellectu perquam difficile videbitur aliquibus, illud est, quod tum etiam cum una atque eadem impressio ex. gr. odoris rosæ sæpius in naribus iteratur, plurimæ quæ tunc in animo excitantur aliæ post alias ideæ ejusdem odoris rosæ, si rem accuratius consideremus, ita inter se, ut plurimum, discrepant, ut illarum idearum quælibet ab alia quacumque, nisi conjectura aberraverimus, diversa sit.

14. At cum minimum discrimen, quod intersit, raro sub aspectum nobis cadat, usu sæpissime venit, ut eas ideas ab odore ejusdem rosæ pluries in nares impulsionem inferentis generatas simul confundamus, neque unam ideam illarum esse ideam alteram affirmemus. Tanta enim tenentur similitudine, ut earum quæcumque tandem oriatur, non tamquam ab aliis discrepantem, sed unam atque unicam sentiamus;

dummodo tamen quædam alterius generis ideæ nunc, nunc ideæ diversæ non comitentur eumdem rosæ odorem pluries menti recurrentem.

15. Namque etiamsi binæ ejusdem odoris rosæ ideæ ita similes sint, ut nihil interesse inter priorem, atque eam, quæ postrema proposita est, videatur; attamen certum omnino est de earum discrimine sæpissime judicari posse, tum potissimum, cum duarum idearum primam quædam alterius generis ideæ, posteriorem ideæ diversæ vel præcedunt, vel subsequuntur.

16. Quin hoc jure affirmare possumus, si priorem ideam odoris rosæ alia veluti rubri coloris idea, posteriorem vero ideam nulla idea consequuta sit, ideam priorem odoris rosæ posse a posteriore secerni, judiciumque haberi non simplex illud quidem, sed compositum.

17. Quod sane certissimo argumento deprehendimus; nam sentiamus oportet ideam rubri coloris ab idea odoris rosæ antecedenti differre, itemque ab idea ultima, quod duorum judiciorum auxilio perficitur. Denique quia rubri coloris idea priorem sequuta est, non vero postremam odoris rosæ ideam, ideam primam ab ultima discernimus, idque judicio tertio.

18\. Quare illud esset dicendum, binas ideas ejusdem odoris rosæ inter se differentes nobis fuisse. Sed cum ideæ hujusmodi inter se conlatæ nulla habita ad colorem rubrum ratione, ita similitudine pares sint, ut de iis nullum judicium ferre liceat, nec alteram ab altera sejungere; accidit, ut, quin dicamus duas ideas nos habuisse diversas odoris rosæ alteram alteri posteriorem, asseramus, postremam in nobis bis extitisse, primum cum colore rubro, deinde sine rubro colore. Quod vero de ideis odoris rosæ diximus, de cujuscumque generis ideis dici potest.

19\. Judiciorum igitur serie opus est, ut sentiamus ideam præsentem aliquando in mente nostra extitisse. Judiciorum vero numerum haudquaquam describimus; quo enim magis ideæ complexæ sunt, eo major judiciorum numerus erit, et contra. Ne illud quidem statuimus, quot judiciis uti necesse sit, ut sentiamus quoties quamdam ideam habuerimus. Satis sit affirmare præsentem ideam jam antea in mente fuisse certissimo argumento posse dici, idque judicandi facultate fieri, quæ alio hic nomine definitur, nempe facultatis memoriæ.

20\. Quoties igitur sentimus præsentem ideam jam antea nos habuisse, actum memoriæ exercemus, seu recordamur. Facultas autem

memoriæ est potestas sentiendi ideam præsentem in nobis jam antea extitisse.

21. Cum primum ideam odoris rosæ conciperet animus, ejusdem rosæ vis sensus nostros impulit, quæ vis iterari debuit, ut denuo sese præsentem animo idea odoris rosæ offerret. Sed tamen non omnino necessaria est semper in sensus hujusmodi nova actio objectorum ad restituendam ideam jam antea animo comprehensam, quoniam non ex hoc uno principio existunt causæ, et plurima esse possunt, quæ idem hoc efficiunt.

22. Ita cum rosæ odor in nares primum, deinde color impnlsionem in oculos concitavit, servatoque hoc ordine sæpius id egerunt, eveniet aliquando, ut cum odor tantum ideam suam excitavit, coloris quoque existat imago, quamquam nulli radii oculorum pupillam percellant. Quod quidem licet non facili negotio explicare verbis possimus, quotidie tamen in nobis experimur.

23. Hactenus itaque diximus de duplici recordationis genere, quorum unum eas ideas respicit, quæ renovantur ab iterato eorum impulsu objectorum, quæ ideas easdem primitus excitarunt; alterum ad illas spectat ideas, quas non eædem causæ denuo restituunt, a quibus jam tum a principio

originem habuerunt, sed diversæ causæ physicæ. Quarum recordationum singulas passivas licet appellare, cum in nostra libertate non sit positum ideas, quas memoravimus, excitare, verum in quibusdam causis physicis, quarum vi organa sensoria impelluntur.

24. Sed tamen intercedit sæpenumero causa quædam in ideis effingendis, quæ in nostra libertate sita est. Si enim (ut exemplo utar) decem ideæ procreatæ sint externorum objectorum vi, atque impulsione, deinde vero aut nova eorum actione, aut alia quapiam de causa denuo priores tantum quatuor, ac duæ postremæ restituantur, non solum sentimus singulas priores, ac posteriores in mente jam antea fuisse, sed etiam novimus illud, quod inter primas, atque ultimas fuerunt collocatæ aliæ ideæ quædam ab initio, quibus modo nos carere cognoscimus.

25. Quod si intelligamus fore, ut aliquid emolumenti venturum nobis sit ex ideis, quæ præsto erant antea intermediæ inter utrasque, priores scilicet quatuor, duasque postremas, amore earumdem repetendarum flagramus, ad id animum valde intendimus, omnem idearum rationem perpendentes, excogitantesque diu multumque, si fieri possit, ut hujusmodi ideæ in mentem cadant.

26. His itaque animi nostri contentionibus sæpe usuvenit, ut res cito ex voto veniat; interdum contendimus acrius, ut quod requiritur, animo comprehendatur; modo universæ iterum suscitantur exoptatæ ideæ, modo nonnullæ; sæpe quæ nulli usui sunt, veniunt; plerumque, nobis nolentibus, quæ molestiam afferunt.

27. Quidquid vero id sit, certum omnino, compertumque est, sentire nos easdem in nobis jam extitisse, quod est facultatis memoriæ proprium, cætera ad hanc facultatem minime pertinent, et sunt aut actioni objectorum, aut fibrillarum nervearum motibus, vel ipsius cerebri, aut exercitationi cuidam actuosi animi, ex quo crebra idearum repetitio existit, tribuenda.

28. Quamvis autem hæc, ut adnotavimus, memoriam formare censenda non sint, attamen non defuerunt, qui eam ex quibusdam rerum, de quibus mentionem fecimus, conflari crederent. Inter quos eorum præsertim pervulgata opinio fuit, ac laudata, qui memoriam ex illa animi nostri vi activa, qua ad excitandas ideas absentes utimur, formatam tradebant. At vero intelligi haud potest, quomodo animi vis activa in memoriæ facultate ponatur, atque ita ex duabus distinctissimis secum invicem facultatibus

una tantum constituatur; præsertim cum memoriæ facultas tamquam individuum aliquod concipiatur, atque esse debeat. Illud etiam non est omittendum, quod licet interdum sic adhibeamus vim activam ad renovationem idearum præteritarum, ut revera iterentur, at, si tamquam novas ipsæ sese præbeant animo, fateri numquam possumus memoriæ actum nos exerere, seu illarum idearum recordationem habere. Verba igitur in pauca conferamus, nec vereamur dicere, actum quemlibet memoriæ in eo consistere, ut sentiamus ideam præsentem jam antea nos habuisse.

29. Quod vero spectat ad facultatem judicandi proprie dictam, non possumus, quin consideremus, nos sæpe ideam aliquam ab alia secernere ita, ut, si minus subtiliter exploramus, non magis una, quam altera nos alliciat et delectet. Quod quidem efficit, ut, quod propositum est, cum simus assequuti, diutius in iis perpendendis non immoremur, nec earum idearum gratia actum aliquem earum facultatum, quibus præditi sumus expromamus, sed diversa sectemur.

30. Quotiescumque ex duabus ideis alteram cognoscimus præstare alteri, non tantum nobis satis esse ducimus percepisse hanc non esse illam, sed nonnihil præterea facimus.

Illi, quam meliorem putamus, adhæremus. Facultatem eam, qua ita adhærere possumus, facultatem volendi, seu voluntatem vocamus. Quoties revera hujusmodi adhæsiones experimur, toties actum voluntatis exercemus.

51. Si fieri umquam posset, ut mens nostra omnibus ideis cujuscumque generis prorsus expoliaretur, duabus tantum exceptis e simplicissimis, quarum una nos magis delectaret, nos adhæreremus præstantiori. Quamvis autem esset animus ipse noster, qui etiam in illo casu huic ideæ præstantiori adhæreret vi sua activa, de qua dicemus inferius, tamen non animadverteremus nos posse tunc eamdem adhæsionem omittere. Per nostram enim hypothesin careremus tertia idea, qua opus esset, ut cognosceremus nos omittere posse ipsam adhæsionem. Immo etiam ne tum quidem, cum plures ideæ in animo essent, interque se genere dissimiles, perspiceremus nos posse earum excellentiores repudiare, dummodo adhæsiones, quibus antea usi fuissemus, detrimentum nullum, vel molestiam nobis attulissent. Abstrahimur enim ab idea, quæ oblectationem quamdam offert, tum solum, cum incommodi ratio aliqua hoc nobis suadet.

32. Cum præjudicata opinione aliquid emolumenti eidem ideæ subesse judicaverimus, cui adhæserimus, deinde vero erroris velut dilapsis tenebris, perniciosam sequutos nos fuisse perspexerimus, tunc investigabimus fuerit nec ne aliqua hujus erroris vitandi ratio. Quod cum factum sit, tandem compertum habebimus, ideas, quas præstare cæteris judicamus, multum quidem habere efficacitatis ad nos impellendos; sed tamen in iis non eam vim insidere, qua ad eas amplectendas necessario inducamur omnino, atque adhæsionem a quadam animi nostri facultate pendere.

33. Crebra horum actuum repetitio efficit profecto, ut ad errores, quos offenderimus, animum, cogitationemque convertamus, neque posthac harum idearum veluti specie nos allucinari sinamus, nec mediocri diligentia utemur in perpendendo utrum idea, quam amplexuri sumus, ea esse possit, ut, quod optamus bonum, revera allatura sit; atque eo majorem curam adhibebimus, quo pluribus tamquam ex elementis idea constabit, difficiliusque singula, quibus conflatur, noverimus; præcipue cum sciamus cautionem sæpe etiam non mediocrem nihil conducere, erroresque permultos existere.

34. Perpendemus igitur ideam, quæ huic tamquam quæstioni subjecta est, simulque facultatem eam animi, qua sentimus vim in nobis sitam esse anteferendi cæteris ideam præstantiorem. Quod afferat lumen quoddam necesse est, et magis magisque ad cognoscendam animi nostri naturam impellat, et facultatem, qua possumus alterutram ideam sequi. Quo luce clarius patet non dumtaxat nos ideas gratas, vel ingratas noscere, quæ ideam amplexandam proxime consequuturæ sint, sed eas, quæ remotæ, dissociatæque esse videntur, cum revera conjunctione quadàm, et vinculo cum iis contineantur.

35. Itaque cum varias idearum nostrarum rationes, et nexus animo comprehendamus, idque ejus facultatis ope, quæ ratio nuncupatur, ob quam inter cætera bruta animantia excellimus, concitabimur ad rectæ rationi obsequendum, et fugienda quæ sunt illi contraria. Quod si hanc tamquam præfulgentem lucem oderimus, deteriores ideas sectaturi, non possumus, quin deterreamur conscientiæ voce, moneamurque fore aliquando, ut ex præsentium voluptatum illecebris mala plurima, eaque gravissima emersura sint.

36. Hinc materia dabitur disputandi de *im-*

putabilitate actionum humanarum; de minimis enim peccatis, deque maximis consceleratorum hominum hinc judicare possumus. Verum cum ad hæc potissimum non spectet noster hic sermo, unde incepimus, eo revertamur.

37. Quoniam certo comperimus vim inesse in nobis eligendi alterutram ideam, ut animus vi sua se moveat (verbis numquam satis idoneis ad simplicem ejusdem animi facultatem denotandam utemur), causa externa cogente omnino nulla, affirmare audebimus eadem vi activa animum ipsum haud carere etiam tum, cum nos non luculentissime eam observamus, ut si vel binæ simplices ideæ propositæ sint, quarum altera potior, non motu, ut ita dicam, machinali, quemadmodum superius etiam indicavimus, atque necessario hanc amplexati fuerimus, sed delectatione quadam permoti interiorem vim, ad eamdem capiendam expresserimus.

38. Facultas ea, qua animus ipse movere se potest, libertas est; et quoties ille reapse sese movet, actum libertatis peragit.

39. Ex quo quidem intelligi potest, cur ex duabus ideis, quæcumque tandem eæ sint, similibus tamen inter se, alteram deligamus hujus nempe vis, atque libertatis

gratia, nec nihil agamus cum æquales ideæ sint propositæ, trutinæ more, quæ paribus utrinque ponderibus in neutram partem deflectitur. Quin etiam si altera earum speciem quamdam insignem præseferat, deteriori adhærere possumus animi libertate.

40. Singularis equidem, et admiranda res est, quod homines in ideis vel amplectendis, vel fugiendis ita affici soleant, ut omnino intelligant in se positam esse activam vim, qua, optione data, possint alteram sequi, alteram vero repudiare, et deteriorem potiori anteferre. Quod vero cum in rebus etiam parvi momenti accidat fere semper, tum potissimum certe fiet, cum de maximo negotio aliquo, aut novo agimus. Quæ animi vis si interdum parum luculenter sub aspectum cadat, quæ facimus, peccati suspicione carebunt, nullaque iis actionibus pœna jure inferetur; nisi vero incuria quædam intercesserit in rerum expetendarum, vel fugiendarum investigatione, vel diuturna consuetudo in sceleribus patrandis invaluerit, animumque obcæcaverit.